

## LIBER

duodecimi libri explanata sunt. Quòd si hæc maxima Mercurij à Sole elongatio minor fuerit eà distantia, quam exigit uespertina apparatio, certum habebimus, Mercurium in eo loco constitutum, sero oriri non posse. Ipse enim tantum euadere non potest solares radios, ut lumine suo uisum moueat. Et si illud Mercurio maxime à Sole remoto non potest accidere, multo minus accidet ei à Sole minus distante.

¶ Pro ortu autem matutino prorsus agamus similiter. Ptolemæus itaq; Mercurio in principio Scorpionis existenti, numerauit arcum apparitionis suæ 22. gra. ferè, hoc est, Mercurium in eo loco appariturum distare oportuit à Sole per 22. gr. Verum plurimam quam ibi à Sole potest habere 20. gr. & 52. minuta complectitur, non potest igitur Mercurius apparitionis suæ terminum attingere. In principio deniq; Tauri apparitionis suæ matutine arcum extraxit 22. gra. & 16. minu. Maximam autem à Sole elongationem in eo situ 22. gra. 13. mi. Quæ, quoniam termino apparitionis matutine minor extat, Mercurium, ut uisui appareat, solares non sinit euadere radios. Cessabit igitur in nobis uulgaris admiratio. Nam Veneri sero occidenti, nunc subitum ferme accidere ortum, nunc uero tardum, Mercurium deniq; olim & sero, & mane oriri, & occidere, alias autem prorsus non uideri, tametsi plurimum à Sole distiterit, ratio conuincit. Quòd postremo hoc in theoremate explorare, & cœpto labori motum statuere decreuimus.

F I N I S.